



## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Quod tribus modis dicitur perfectum. E. F

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**

*Responsio ad id quod querebatur an angelii essent creati perfecti aut imperfecti. & dicitur quod perfecti fuerunt secundum aliquid, & imperfecti secundum aliquid.*

*D* Ad hoc autem quod querebatur, utrum perfecti vel imperfecti fuerint creati, dici potest, quia quodammodo perfecti fuerint, & quodammodo imperfecti. Non enim uno modo aliquid dicitur perfectum, sed pluribus.

*Quod tribus modis dicitur perfectum secundum tempus, secundum naturam, & universaliter perfectum.*

*E* Dicitur namque perfectum tribus modis. Est enim perfectum secundum tempus, & perfectum secundum naturam, & est universaliter perfectum. Secundum temp<sup>o</sup> perfectum est, quod habet quicquid tempus requirit, & conuenit secundum tempus haberi, & hoc modo angelii erant perfecti ante confirmationem vel lapsum. Secundum naturam perfectum est, quod habet quicquid debitum est, vel expedit naturae suae ad glorificationem, hoc modo perfecti fuerunt angelii post confirmationem, & erunt sancti post resurrectionem. Universaliter & summe perfectum est, cui nihil unquam deest, & a quo universaliter proueniunt bona, quod est solius Dei. Prima ergo perfectio est naturae conditae: secunda, naturae glorificatae: tercias naturae increatae.

*P*redicta breuiter tangit, addens quales fuerunt angelii in conuersione & auersione.

*F* Quales fuerint angelii in creatione ostensum est, boni scilicet, & non mali: iusti. i. innocentes, & perfecti quodammodo: alio vero modo imperfecti. Beati vero non fuerunt usque ad confirmationem, nisi beatitudo accipiatur, ut iam dictum est, ille status innocentiae & bonitatis in quo conditi sunt.

*DE*